Lang, Karl Heinrich von, 1764-1835

Reverendi in Christo patris Jacobi Marelli S.J. amores e scriniis provinciae Superioris Germaniae Monachii nuper apertis brevi libello expositi

Monachii 1815

REVERENDI IN CHRISTO PATRIS

JACOBI MARELLI S. J.


AMORES

E SCRINIIS
PROVINCIAE SUPERIORIS GERMANIAE
MONACHII NUPER APERTIS
BREVI LIBELLO EXPOSITI

PER

KAROLUM HENRICUM de LANG,

SACRAE CORONAE BAVARICAE EQUITEM,
ET ARCHIVORUM REGNI
SUPREMUM ANTISTITEM.



MONACHII

CIↃIↃCCCXV.

Societatem Jesu viris maxime eruditis et morum ſanctitate probatis abundaſſe, quis dubitet? An vero ſocietatis leges, inſtituta et pueros erudiendi norma noſtris jam temporibus et in litteris profectibus conſentiant, caute perpendamus, ne exciſſos ſtipites revireſcere poſſe stulte ſperemus. Jnter ea, quæ ſocietati ab aliis, jure an injuria, sunt exprobrata, nos de ſecretiori illa labe agamus, cui boni Patres remedium ferre fruſtra ſtuduere, effreno ſcilicet puerorum amore, quo Magiſtrorum, Profeſſorum, et Confeſſariorum maxima turba flagrare ſolebat. Si quis autem atrox illud facinus,

quod

quod ex ipsis provinciae superioris Germaniae scriniis hic jam prodimus, insolens et unicum tantum exiſtimet, ei nos centum aeque et ducenta proferre poſſe teſtamur, ex quibus in fine libelli quaedam adhuc ſubjungamus. Hoc, cives, vos neſcire nolimus. Valete, et ne hoſpitibus imprudenter admiſſis juventutis veſtrae flores carpendos tradituri ſitis, videte! —

Reverendo Patri in Christo P. Martino Müller, Soc. Jesu per Germaniam Superiorem Praeposito Provinciali.

Referende in Chriſto Pater.

Cogor aperire R. V. caſum unius ex Noſtris prorsus lamentabilem, famaeque ſocietatis maxime exitiosum; idipſum nimirum pro dolor! accidiſſe nuntio, quod equidem metuebam hactenus, ſuſpicari tamen de ſacerdote tantique temporis religioso non audebam. Eſt is P. Jacobus Marell, *) turpiſſimus, et ut videri poteſt, à complurium annorum aſſuetudine inveteratus ſodomita, corruptor peſſimus juventutis nobiliſſimae, et, quod abominationis caput eſt, suorum ſpiritualium filiorum, pro confeſſione quos habet,

*) natus Oeniponti 1. April 1649. Societatem ingreſſus 7. Sept. 1668. fungens in Societate munere Procuratoris Provinc. Extern. Confeſſarii et offic. Temp. vid. Catal. Personarum. An. 1698.

habet, seductor impius. Cum his, ut ex duorum complicum relatione habemus, et hoc et superiore anno peccavit frequentissime, tanta quidem impudentiâ, ut non tantum eos lascive tangeret, verum etiam se ipsum turpissime denudatum illis tangendum et polluendum offerret, eisque in lectum suum conjectis, depositis ante utrinque vestibus, incubando formalissimam exerceret sodomiam: et non rare cum paulo ante sacra fecisset, vel post facturus esset ad aram, ut ipsimet adolescentes dicerent, formidasse se, ne vel Venerabile tenens populo benedicturus, vel SS. Hostiam elevans fulmine tangeretur. De quatuor modo nobis constat, ex quibus tres perillustres Comites in rhetorica et poesi. Sunt autem alii praeterea, quos tum sanguis illustris, tum insignior forma et nobilitas, super caeteros extollit gymnasii discipulos, ex omnibus scholis à grammatica ad physicam usque, et inter hos duo ephebi Smi. Principis et Episcopi nostri, quibus ipse pariter a confessionibus est (tales enim largis muneribus venabatur) qui aeque frequenter, ac supra memorati, ejus cubiculum accessere, de quibus equidem nobis nondum constat, cum in re tam ardua plures examinando strepitum facere consultum non

puta-

putaremus; ſed ex his facilis eſt nec omnino temeraria conjectura de caeteris. Unus eorum, quem ſcimus, perill. D. Comes à Zeil ante unum vel duos annos ad eadem ſollicitatus generose reſtitit, turpemque conatum aliis Comitibus manifeſtavit; et haec fortassis inter alias cauſa eſſe potuit, cur is adoleſcens ab Jllmo. D. parente ſcholis noſtris exemtus Salisburgum mitteretur ad humaniores litteras ibidem prosequendas. Teſtari etiam ego poſſum, quando ſimul Ratisbonae morabamur per annum, iisdem artibus, quibus hic ſolet, Illuſtres ac maxime formosos adoleſcentes aliis confeſſariis ſubtractos ad se pellexiſſe, etſi mihi de ſcelere non conſtaret, utpote talia non ſuſpicanti eoque minus indaganti. Et primum nuper ante paucos menſes Dilingâ ad noſtrum gymnaſium delatus unus ejusmodi formoſulus, cum P. Ignatio Erhard confiteri coepiſſet, ab iſto Patre dato inſigni munere ad se invitatus eſt. Hic itaque caſus eſt hominis ut lethalis morbus, dignus utique lacrymis, et, quo fieri poteſt, remedio ſimul potenti ac provido curandus, antequam in urbe ſemi-acatholica cum ſummo famae noſtrae detrimento palam in vulgus erumpat. Nuper enim parum aberat, quin vulgaretur, quando unus ex iſtis,

quibus

quibus cum P. Marell commercium fuit, alios gymnasii discipulos ad eadem flagitia sollicitans, atque ab uno vel altero repulsam passus dixit, nil esse timendum, cum eadem secum jam saepius P. Marell exercuisset; quod dictum jam inter plures sparsum ad aures quoque dicti Patris delatum est, antequam R. P. Rectori innotesceret. Ille igitur authorem cum caeteris ad se vocatum nescio quibus modis adeo permovit, ut revocaret omnia, tamquam falsa à se dicta, coram R. P. Rectore et adolescentibus caeteris, quibus id ante affirmaverat, et iussus suam revocationem scripto confirmaret; adque adeò magno tunc metu liberatum se R. P. Rector credidit. Sed nimis quam verum est, quod ille de se suoque P. Confessario edixerat, nec cum ullo frequentius id perpetratum, quam cum illo Comite humanitatis discipulo, quemadmodum testantur duo pariter Comites ex rhetorica et humanitate, qui haec eadem inter se exercuere atque ulterius in alios propagarunt, quae a suo confessario didicere, adeò quidem, ut ille his diceret, singulis septimanis aliquoties factum à longo jam tempore. Ut autem R. V. etiam perspectum sit, ex qua scientia vel certitudine haec perscribam, significo totam rem, quem-

admo-

admodum narravi, cum omnibus circumſtantiis ad me delatam à P. Ignatio Erhart, ad quem duo ex ſupradictis Perill. Comitibus à potenti ejus ſuada ex aulae cathedra permoti, ſuaeque conſcientiae ſtimulis agitati, ſponte acceſſerunt, eique rem totam extra ſacrum tribunal, de se et aliis duobus, de quibus ipsis ex ipſorum ore conſtabat, expoſuerunt, cum infimis precibus, ut ea celaret, quantum fieri poſſet; data tamen venia, hac notitia utendi in bonum Patris et ſocietatis, factaque deinde apud eumdem P. Ignatium exomologesi generali creduntur jam ad frugem redacti. Cumque bonus pater in tam difficili rerum articulo ſibi ſoli non fideret, ſua mecum conſilia contulit, omnibusque mature expenſis, deoque per ſacrificia et preces multum commendatis, unà denique ſtatuimus, rem, uti eſt, ad R. P. Provincialem, qui forte mutatione hominis miſeri, atque in alium locum translatione iuvare commodiſſime poſſit, deferre. Ex Noſtris itaque, quantum ſcimus, nullus praeter nos duos certam rei notitiam habet, ne ipse quidem R. P. Rector, cui id hactenus aperire conſultum non putavimus ob duas potiſſimum cauſſas, una eſt, quod bonus P. Rector (credo plane ob nimiam ſimplicitatem) circumduci ſe a P. Marell et falſis

dela-

delationibus inefcari et faepius contra infignes collegii patres concitari fe aequo gravius patiatur, non fine dolore et afflictione eorum patrum, et pacis domefticae turbatione; altera eft, quod idem R. P. Rector in corrigendis fuorum defectibus nimio zelo et tumultuoso medicandi genere utatur, excandefcat nimium ac contra accufatum apud alios per domum murmuret, nec facile excufationem illius admittat, ab alio jam praeoccupatus. Metuimus itaque ne, fi rem fummo filentio tegendam ipfe cum majore ftrepitu, quam neceffe fit, aggrediens, ea vel in vulgus emanet cum fumma famae noftrae iactura, vel res fuboleat ante tempus, isque pecunia, cujus fat magnam partem ex officio fecum habet, eamque hactenus in pueros et munera fane multa et pretiosa peffime expendit, fecum abrepta, transfugium ad haereticos moliatur, quibus alias plus quam optemus familiaris eft, et ita fieret noviffimus error peior prioribus. Quid enim non audebit denique confcientia tot criminibus exulcerata, quae an pro facro tribunali expofuerit, equidem non dixerim. Si tamen videatur R. V. eadem R. P. Rectori quoque aperienda, vel in alios etiam de fimilibus flagitiis fufpectos adolefcentes indagandum,

nutu

nutu opus erit et ſeduli exequemur. Conſultius tamen nobis videtur, ſi reus prius a loco moveretur, qui ex nupera infamatione jam omnia ſuſpecta habet, omnes obſidet vias, et illis intendit, qui ſui ſunt, ne ad quempiam noſtrorum patrum forte conſcientiae cauſſa deferantur. Forte omnium optime fiet, et cum minimo ſtrepitu, ſi mutatio ejus ad proximam ordinariam personarum mutationem pariter differatur, ac tunc ab hoc loco abeat, dum praeſentes non sunt ſtudioſi, vel ſi ante id tempus ſuſcipienda videatur, commodum foret, ſi alicubi ad unum vel alterum menſem cum ſpe redeundi Auguſtam, ſupplere officium aliquod iuberetur. Sed modum ſuggerat R. V. ipsa ſpiritus ſancti unctio, quam eidem copioſam medullitus exopto, atque una in SS. ſacrificia paternosque favores me demiſſiſſime commendo.

Auguſtae, 3. Jul. 1698.

Rae Vae

Servus in Chriſto et filiorum infimus

Jacobus Banholzer.

P. S.

Rogo demiſſe, velit R. V. liberare me ab officio Conſultoris, quod jam per 4. annos continuos indignus ſuſtinui, et unâ ſaltem lineolâ certiorem reddere de reddita hac epiſtola mea.

Reve-

Reverende in Christo Pater.

Pax Christi!

Augustae 22. Sept. 1698.

Quandoquidem R. V. ita iubet, summa, qua par est in re gravissima, fidelitate ea nunc significo, quae significaturus primo tempore fuissem, nisi P. Jacobus Banholzer, vir prudens ac religiosus ut constat, et praeterea collegii nostri consultor, quem solum ob rationem infra indicendam consilii petendi caussa accedere malui, onus in se suscipere ultro voluisset. Jam vero, quod monet R. V. procul a me absit, ut aliud vel minimum hic revelem, quam quod salvo confessionis sacro sancto sigillo possum, et exinde aperire etiam teneor: possum autem omnia quaecunque personam P. Marelli circa ea, quae cum duobus certe et indubitate peccata sunt, concernunt; hanc enim potestatem mihi adolescentes complices ultro et iterato fecerunt, ac propterea etiam extra sacrum tribunal omnia saepius repetierunt, id unum rogantes, ut nomini suo parceretur a me apud alios, quos ista scire necesse non esset.

Horum primus est Perill. D. Craffto Wilhelmus Comes ab Oettingen, cui ego a principio hujus

hujus anni ſcholaſtici a confeſſionibus ſum, ita dirigente ejus moderatore, maxime ſemper ſollicito, ne P. Marello uteretur, eo usque, ut aliquando mandaverit D. Comiti in mea aliorumque abſentia potius a confeſſione abſtineat, quam P. Marellum, ad quem propendebat, accederet. Id quod mihi ex poſt facto ſuſpicionem movit, moderatorem jam dudum odorem aliquem percepiſſe eorum, quae jam ſcripturus sum. Hic itaque ill. adoleſcens, tum pietate tum literis ac moribus semper hactenus laudatiſſimus, altera poſt Pascha Dominica conſcientiae ſtimulis agitatus (cauſſam ipſe attribuit concioni, quam ad diſcipulos noſtros de perdita ovicula imperitus ſane habui) ad me praeter morem ſine moderatore veniens fatetur ultro, ſe anno priore et initio praeſentis aliquoties (in numero definiendo fuit inconſtans, unde mitiori vocabulo utor) cum P. Marello mutuis contactibus peccaſſe et jam longo tempore quietem nullam ſe ob id capere potuiſſe; et quidem ſe hoc feciſſe pellectum et timore quodam reverentiali, quo contradicere huic viro non eſſet auſus. Hunc enim ſibi appropinquantem libatis oſculis, et ſolutis paulatim togae interioris nodulis ac fibulis, ſceleratas primo verendis admoviſſe manus, porrecto interim

libro

libro, profanis imaginibus pleno; ſubinde ut idem apud se (P. Jacobum) audacter faceret, invitasse, toto in hunc finem reſerato pectore ſinuque; tandem cum obſecundaſſet trepidus et rogans, ut ſaltem feneſtris ſiparium obduceret, ſucceſſiſſe ipsorum etiam corporum conjunctionem. Atque hoc aſſeveravit ſaepius ac diverſis vicibus, cumque de gravitate rei, ſi viro religioso detrahere praeſumeret, identidem à me moneretur; cum gemitu reſpondit, utinam vera non eſſent! et mox puerili innocentia: nunquid enim haec òmnia jam olim aliquatenus in confeſſione aperui, ſi vera non eſſent, cur meipsum in re tam turpi accuſarem? Ego vero increpitum tacere de confeſſione iuſſi, haec enim nihil huc facere, caeterum ſi ultro conſentiret, uſurum me forte etiam iſta licentia, prout neceſſitas requireret, in bonam famam ſocietatis. Aſſenſus eſt facile, modo citra ſuam infamiam, maxime apud R. P. Rectorem, utpote apud quem hactenus optimo loco fuiſſet. Poſt haec ne quidem rogatus a me de aliis, subjunxit: quaeſo, R. V. iuvet etiam miſerum Comitem Antonium Fugger, qui jam pridem eodem morbo laborans miris modis angitur. Quibus invicem ego repoſui: habet ipſum P. Marellium Confeſſarium? Veniet nihilo-

hilominus, me hortatore, excepit ille, certo ad R. V. ſingularem enim et ipſe ex nupera et hodierna concione fiduciam concepit; modo R. V. annuat. Annui et factum eſt ita. Venit enim ille altero mox die anhelus et gemens, maximoque animi candore ſimul et dolore, quem a miſerante deo provenire manifeſte ſenſi, talia detexit, quae ſine horrore et pudore ſcribi legique non poſſunt; horrendas ſcilicet et perfectas ſodomias, et quod in religioſo et confeſſario conſequitur, conjuncta ſacrilegia et aliquales cum filio ſpirituali inceſtus. Difficile eſt hic particularia referre, quia tamen ad convincendum hominem, ut R. V. ſcit, facere poſſunt, addo ſequentia: 1. petiiſſe et hunc adoleſcentem, ut vela feneſtris obduceret, ne quis forte praetereuntium (habitat enim P. Marell in infima domus contignatione, in loco ubi frequens eſt transitus) curioſos oculos etiam per clauſos feneſtrarum orbes immittere poſſit; 2. hoc praeſtito et obducto etiam ianuam peſſulo, quin et obſtructo foramine claviculari P Marellum impudentiſſime primum D. Comitem adoleſcentem caeteroquin innocentiſſimum et propter pietatis famam, qua ſpecialiter floret, nunc congregationis praefectum, omnibus prorſus

ſus veſtibus, intimis etiam exuiſſe, poſtea ſe ipſum denudaſſe turpiſſime, concubuiſſe in propinquo mensae lectulo et ſic (quod Comes ipſe addidit) ſinito, vel potius turbato a pulſantibus ianuam flagitio, corpora polluta linteo lectuario fuiſſe abſterſa; 3. tum demum exploratis diligenter omnibus utrinque diſceſſum eſſe non ſine pretioso plerumque donario. Numerum et hic mihi non definivit, quod ſignum eſt ſaepius utique quam semel contigiſſe. Uterque vero iſtorum Comitum mihi affirmavit, multo hoc rarius ſecum contigiſſe, quam apud Comitem Rupertum itidem Familiae Fuggerianae; id enim ſibi ex propria illius confeſſione conſtare, etiam poſtquam palinodiam hic ceciniſſet apud R. P. Rectorem, de quo velut aliunde haud dubie R. V. nota, nil memoro; immo idem conſtare ejusdem moderatori, à quo tamen graviſſima interminatione tacere iuſſus eſſet Rupertus. Potuiſſem facillimum hunc tertium Comitem habere fatentem, nolui tamen, diffiſus ſcilicet notae loquacitati, per quam haud dubie poſt iteratas quaeſtiones ejusmodi rumor aliquis ad plures vel complices vel alios, vel, quod maxime cavendum erat, ad ipſum P. Marellum, quem ad ultimum frequentare perrexerat, emanaſſet. Et haec

ipſa

ipſa demum, mea potiſſima ratio fuit celandae totius rei etiam apud R. P. Rectorem, etiamque, quid facto opus eſſet, conſulendi. Verebar enim, ne vultu ſaltem dolorem et mutatam animam proderet apud reum, vel in plures teſtes ipſe inquireret, vel quod pejus futurum erat, per P. Praefectum juberet inquiri, uti factum eſt paulo ante in hac eadem materia, non ſine evidenti ac proximo periculo diffamationis noſtrae; jam enim undique reſonabant ora puerorum de Ruperti Comitis aliorumque complicum dictis factisque muſſitantium. Evocabantur enim tempore ſane importuno ex ipſis ſcholis teſtes a P. Praefecto, alii innoxii et rerum inſcii in examen vocabantur. Caſus fuit optabilis, quod Rupertus data etiam ſyngrapha dictum ſuum retraxerit, alias vae! jam nobis apud haereticos dudum exulceratos! Propter hanc eandem rationem etiam ego tunc ab omni ulteriore indagine penitus abſtinui, omnia diſſimulans et piſce magis mutus, impoſui ad haec ſub interminatione peccati mortalis utrique Comitum ſilentium et D. Antonio quidem autor fui, ut porro confeſſionem ſuam apud P. Marellum ad cavendum majus malum perageret; item utrumque ſerio commonefeci, ut, ſi quid

 deinceps

deinceps hac de re alios mussitare audirent, continuo referrent ad me, quod et promiserunt; apud me longo post tempore nunquam visi. Tandem rediit Comes ab Oettingen duosque novos commilitones detexit, Rhetorem unum Fr. Xav. Sattler, alterum Humanistam, Joannem Georgium Bottner, et hunc nobilem, Praefecti in Einlingen (si loci bene memini) filium, ac mercede unius floreni a P. Marello conductum, id quod puer hic ipse fassus esset his verbis: Der Teufel soll ihn heimführen, wann es nit wahr sey! Miser hic juvenis non ita pridem altum lamentante D. Parente ob alias non absimiles rationes (nam de his nihil aliis constat) nuper e Gymnasio nostro amandatus est. Haec iterum non alia certitudine, quam ex relatione Dom. Comitis Oettingensis. Caeterum rei universae probabilitatem magnam citra temerariam suspicionem alicujus facere possunt sequentia: 1. quod hic turpis rumor primo eruperit a D. Comite Ruperto multis caeteroquin muneribus P. Jacobo devincto; 2. quod illud retractatum licet postea duo alii Comites itidem Patris amici ultro post habita sui nominis, saltem apud aliquos fama, detexerint; 3. quod hi aliique adolescentes formosiores dudum, non sine querelis

aliorum

aliorum Patrum, cubiculum P. Marelli frequentaverint, ipſeque Rupertus deprehenſus ſit exire, cum paulo ante janua obſerata et ſine clave eſſet; 4. quod pridem in diſceſſu ſuo P. Hailand aperte dixerit, ſe bona conſcientia nulli juvenum ſuadere poſſe, ut confiteatur P. Marello; quod illum dixiſſe ſaepenumero admiratus ſum; 5. quod omnes fere templi noſtri Confeſſarii jam pridem apud R. P. Rectorem conqueſti ſint, ſe ab experientia habere, P. Marellum graviſſima omni genere ſcelera in conſuetudinariis diſſimulare, nulla penitus facta admonitione; 6. quod docuerit, ut ab ipſis duobus hisce confitentibus poſtea primum audivi, licere iſta omnia, modo abſit conſenſus in voluptatem, quo quid ſtultius! et quietismo ſimilius! 7. denique (ut alia omittam) quod uterque ſaepe memoratorum Comitum paratus ſit, quam primum iuſſi fuerint, omnia recenſita ſyngrapha ſua ac ſigillo proprio confirmare. — Atque haec ex imperio et voluntate R. V. ſumma, qua decuit fide ac ſimplicitate, ſcripſi; nulla prorſus erga virum hunc, ſiniſtra affectione impulſus, ut à quo nunquam offenſus ſum, ſed potius plurima obſequia ac optimam ſemper voluntatem expertus ſum; ita teſtor intimum conſcientiae meae arbitrum Deum,

cui et hodie antequam haec ſcriberem et hactenus ſemper rem iſtam in ſacrificio Miſſae commendavi. Ad extremum addo rem hactenus feliciter ſuppreſſam in eo eſſe ut erumpat, niſi mature abſtrahatur P. Marellus; fatetur ipſe R. P. Rector, difficillimum ſibi eſſe, dolorem non prodere vultu ſaltem NB. Hinc jam videntur creviſſe Marellio ſuſpiciones; et neſcio qui in Collegio rumores quaeſtiunculae fieri incipiunt de P. Marello, reſuſcitata apud nonnullos veteri de Comite Ruperto hiſtoria. Deus avertat, ne inaudiat P. Marellus, antequam in tuto eſt, et procul ab haereticis. Verum haec R. V. ac potiſſimum divinae providentiae relinquo; quam dudum ſupplico, ut me aliosque in ſua gratia ac R. V. toti Provinciae conſervet incolumem; cujus SS. ſacrificiis me demiſſiſſime commendo. R. V. Servus in Chriſto.

Jgnatius Erhart.

Ex

Reverende in Chriſto Pater.

Pax Chriſti!

Accepi et ego literas a P. Willi; ſed praeter negotium cum amico Benkart longius, pauca ſolum ſignificat de miſſis ad R. V. Lazari literis, ex conglobatis mendaciis ac perjuriis fraudibusque conflatis. Reſcripſi illi hodie bene longas totamque ſtropham detexi, ac ne dubium ullum haerere poſſit, addidi, me trium Comitum atteſtationes nomine ſingulorum ſeparatim ſubſcriptas R. V. miſſiſſe, quod etiam facio, unaque R. V. communico, quod hodie mane honeſtus ſacerdos Burgundus, Comitis Ruperti Praefectus P. Erhard confidenter dixit, nempe ſiluiſſe ſe Societatis amore, et ſilentium Comiti ſuo imperaſſe, certum vero ſe eſſe, quod ſi familiae capita ſcirent, quam turpiter et quam ſaepe abuſus ſit innocentis parvuli ſimplicitate, Sie würden Ihn ohnfehlbar maſſacriren laſſen. Hoc termino uſus eſt, monuique P. Willi, ut caſu quo Romam veniret, de hoc ipſo periculo Lazarum admoneret. De offenſa, quam ego incurrerim ſeria reprehenſione et admonitione, ne Comes Rupertus Auguſtam rediret et ad ſtudia, ſe

res

res ita habet. In meo cubiculo ante biduum interrogatus, quid senserit, candide respondit: Ich hab Euer Hochwürd woll nichts vor vbel gehabt, sonder gedenckht, wann der P. Rector wisset, was ich weiß, würd Er viel anderst reden; fassusque est, se paulo antequam ad me veniret, convenisse P. Lazarum, qui per omnia obtestatus est, ut constans maneret in sua revocatione, et hunc in finem remisisse debitum V. florenorum, quos illi per annum mutuos dederat ad varia puerilia, inscio morum praefecto coëmenda. Factum igitur optime, quod R. V. cunctationes omnes abruperit et executioni cursum suum, reliquerit. Certum omnino, quod quidquam turpe de Com. Antonio relatum fuit, id omne commissum alias cum hoc complice fuerit. Utinam laetior scribendi occasio aliud argumentum subministraret, sed necessitas cogit ad haec. Interea me S. S. sacrificiis R. V. me collegiumque totum humillime commendo.

Augustae 26. Dec. 1698.

R. V.

Servus in Christo

Christoph. Osterpeutter, (Rector)

P. S. Sumtus Collegio solvendi pro Lazari dimissione

Sartori pro vestitu	38 fl. 47 kr.
Netrici pro tela lintea . . .	6 - — —
Viaticum	60 - — —

quae solvantur R. P. Rectori Monacensi aut P. Superiori Ebersperg. proxime.

Ego

Ego infra ſcriptus teſtor, illa, quae de me ac P. Marello Superioribus retulit Pater N. N. ultro a me huic cum omnibus circumſtantiis detecta fuiſſe, addita facultate, omnia manifeſtandi iis, ad quos pertineret, ſalva tamen apud alios fama mea. E contra teſtor falſam et confictam quoad omnia eſſe illam, quam de cilicio induendo P. Marellus contexuit fabulam, quamque, ut ego ipſe pari mendacii tenore recantarem, inducere tentavit literis clam ad me datis, ſed a Superioribus, divina haud dubie diſponente providentia interceptis, in quibus praeter alia triginta etiam ſacrificia in fraudis ac mendacii mercedem promiſit. — Pariter teſtor, vanum prorſus eſſe, quod in ſui defenſionem attulit ab humanitate mea, ipſi ſub anni ſcholaſtici finem a me plusquam alias exhibita; hoc enim totum feci eo conſilio, ne vir iſte ullam ante tempus rei manifeſtatae ſuſpicionem caperet, indeque, quod timebamus, ne ad deſperata conſilia in urbe ſemi — acatholica ſe improviſo converteret. Atque haec aliaque ſpecialia paratus ſum oretenus confirmare coram Superioribus S. J., ſi veritas porro à periuro in dubium traheretur.

Auguſtae Vind. 26. Dec. a. 1698.

Craffto Wilhelmus Maximilianus Antonius
Comes in Oettingen.

Ego

Ego infra ſcriptus teſtor, ea, quae a me aliquando etiam ſcripto negata, poſtea vero aliunde detecta ſunt, et per Patrem N. N. Superioribus fuerunt relata de me et P. Marello, veriſsima eſse, itaque prorsus se habere, prout dictus P. N. N. retulit. Paratus insuper sum, haec eadem et plura ſpeciatim referre et confirmare coram Superioribus S. J. ſi ad majus ejusdem Societatis bonum, cui promovendo jam olim ſtuduerunt progenitores mei, et ad retundendam negantis ac peierantis audaciam opus eſſe videbitur; inſuper habitis precibus donatisque pecuniis, quibus me P. Marellus ſub initium feriarum autumnalium in hypocauſto recreationis, ut vocant, juxta oratorium januae propinquum, ut in mendacio coepto perſiſterem, rogavit et obteſtatus eſt. Dumque haec facio amore Societatis ac veritatis contra perjurium, quamvis non ſine mei ipſius apud Superiores confuſione, ſpero viciſſim ab his nomini mei apud alios habendam eſſe rationem.

Auguſtae Vindel. 26. Dec a. 1698.

Rupertus Antonius Joſephus Fugger

Comes in Babenhauſſen.

Ego infra ſcriptus teſtor, me nec vocatum nec interrogatum ab ullo a S. J. ſed ſuaſu D. Comi-

tis

tis ab Oettingen familiaris mei, et propria potiſſimum ſtimulante conſcientia aperuiſſe ultro ea omnia, quae de me et P. Marello, ſalva, quod rogavi et etiamnum rogo, nominis mei fama apud alios, ad Superiores perſcripſit P. N. N. cum omnibus circumſtantiis, iisque talibus ac tantis, quae primo fidem dicti P. N. N. longe ſuperarunt, adeo, ut cum adduci vix poſſet, ut crederet, mihi graviſſimam Dei vindictam fuerit minitatus, ſi in re tam enormi viros religioſos auderem detrahere. At, quemadmodum tunc ſaepius feci, ita nunc quoque Deum ac conſcientiam meam, quae me longo tempore miſerum in modum cruciabat, teſtor, omnia ita ſe habere, uti ego dixi, ac Pater N. N. meo conſenſu perſcripſit; paratus praeterea ſum, omnia ſingillatim et oretenus confirmare coram Superioribus, ſi fides illius, qui retulit, et mea in dubium vocaretur. Auguſtae Vindel. 26. Dec. a. 1698.

Antonius Rupertus Chriſtophorus Fugger,
Comes in Kirchberg et Weiſſenhorn.

Cauſſam ex Praepoſiti Generalis Sententia per dimiſſionem P. Marelli finitam annuae Relationes de 1698. leviter ſic tangunt: Unus a ſocietate dimiſſus. Caeterum purgatum eſt hoc anno multis ſordibus gymnaſium, iiſque in poſterum exceſſe juſſum, qui moribus corrupti indignos ſe reddiderunt, quod conſilium Magiſtratus Urbicus ſummopere laudavit.

Ex

Ex multa accuſationum copia, de quibus informationes ſuſceptae et Praepoſito Generali Romam delatae ſunt, notabiliores quasdam hic ſubjicimus:

1.) informatio contra P. Wernerum Ehinger Suevum, ob turpe conſortium cum Barone quodam Ratisponenſi a 1647. et Soloduri cum juvene venuſto, qui plus ſe mali a Patribus didiciſſe, quam boni palam iactitabat. 1650.

2.) contra P. Theodoricum Beck, Cardinalis de Haſſia Confeſſarium, impudici conſortii reum, cum juvene I. Pragae, II. Conſtantiae I. Viennae, V. Heidershemii, I. Friburgi, et cum eo quidem ſingulis noctibus, pro quibus facinoribus Patri in Collegium revocato injunctum eſt jejunium ſabbatinum. a. 1651 -- 1664.

3.) contra P. Has, Friburgi, ob malum commercium cum duobus juvenibus;

4.) contra P. Georgium Rauber, Ebersbergae, in quem Praepoſiti Generalis iſta ſententia:

inclu-

includatur, et liberetur, quando R. V. iudicabit liberandum; ac tum diligenter caveat, ne ullum in posterum commercium cum pueris aut adolescentibus illi permittatur, immo omnino expediet, ut alio amandetur, ubi sit futurus ignotus. 1654.

5.) contra P. Adamum Herler, Constantiae, qui XVII. juvenes, et ex his tres nobilissimos Rhaetos, Planta, Bellizon et Schauenstein turpiter contaminavit, et ad remotius Collegium remissus et relapsus religionem Canonicorum Regular. S. Augustini amplecti jussus est. 1655 -- 57.

6.) contra P. Mattheum, Friburgi Brisg. ob attentatum in Magistrum quendam facinus. 1656.

7.) in M. Francisc. Schlegl, Monachii, ob flagitium in 7. pueros commissum. Denique dimissus et cum literis recommendaticiis ad Theol. Studium Viennam profectus. 1659.

8.) in P. Ferdinandum Augustae, qui sub specie morbi explorandi Aulae Ancilla abusus est. Decretum Provincialis: Res nemini

mini nisi complicibus nota Romam non deferatur, sed P. Ferdinandus inter parietes meliora edoctus puniatur. 1660.

9.) in P. Michaelem Baumgartner Eustadianum. Homo is admodum simplex grammaticam multis annis docuit; post in Collegio Mindelhemii Minister nominatus confitentem rusticam in angulum templi seduxit; Landshuti ablegatus confitentes foeminas ut Cor aperirent hortatus, quod istae obedientes de pectore denudando intellexere. Ruri confessiones ancillarum in stabulo excepit ex zelo uti asserebat; mox Dillingam abire et subregentem agere jussus cum vetula septuagenaria negotium habuit puellasque duas, unam piscatricem, netricem alteram portas introduxit, ex quibus una vi se evolvens erupit clamitans: Pfui Teufel was sind das für Pfaffen! Dimissus denique et in confiniis Patavii Caplanum agens, receptionem magnopere sollicitavit, obtestans, non jam tantas se libidines intra triginta dies exercere, quam olim unius mensis spatio. A. 1662—67.

10.) Imago M. Francisci Remich Straubingae 1666: Nihil praeclare dotis habet, non ingenium,

genium, quod eſt mediocre, non iudicium, quod eſt exiguum, non prudentia, quae nulla eſt, non gratia dicendi, non ſuavitas morum, non virtus aut ſervor ſpiritus; unde quidam ex Patribus nuper dixit, ſe tota vita ſua non vidiſſe viliorem Magiſtrum in Soc. Domi conſtanter ſe male geſſit — toto die vagus — in ſchola autem adeo miſere, indocte, inſulſe ſuos docuit diſcipulos, ut ſi errores et imprudentias ejus enarrare vellem, multa charta opus foret. Denique in familiaritate puerorum nimius eſt; gratioſiores enim intemperanter amat, eorumque amicitia ſatis craſſe et illiberaliter utitur. In templo pro oratione, quam omittit, contemplatur pueros. (Ex Litteris Rectoris Georgii Biegeiſen ad Prov. Servilianum Veihelin.)

11.) Informatio in M. Joannem Kees, inceſtae libidinis accuſatum, ubi tempore bachanalium diſcipulos veſtitu ſcenico induebat;

12.) in P. Chriſtoph Greutter, Praefectum Neoburgenſem, qui pueros a ſe defloratos ſede et praemiis caeteris praetulerit. 1667.

13.)

13.) in P. Joannem Miotti, Bellizonae, ab eo, quod pueris linguam ori inſeruiſſet, der Züngler vocatum; ſed quia bonus Pater extra gymnaſium plurimis acceptus et gratus fuit, R. P. Provincialis in ſola admonitionis correctione perſtitit. 1667.

14.) in P. Menardum Kugler, Halae, hominem mendacem, acerbum, ſuperbum, vinolentum et furioſum, qui noctu cubicula Patrum ingrediens eos ad turpia coarctare nititur. Sub clericali veſtitu Landavium dimiſſus. 1667.

15.) in P. Karolum Deyring, Landsbergae, cum pueris nimis familiariter agentem, pertinacem, arrogantem, prodigum, audacem in procurandis medicinis et curandis mulieribus. 1667.

16.) in M. Georgium Lauth, Monachii, incontinentiae reum, in quo nempe tentationes carnis integro jam ſeptennio ſingulis prope hebdomatibus bis, ter, quaterve in actum prodirent. 1674. Reſp. P. Provincialis Muglinus: Cauſſas iſtas pro dimiſſione nondum ſufficere.

17.) in P. Georgium Deininger, Elvaci, hominem ſimplicem, audacem, vanum, incautum, ob freqnentes congreſſus in latibulis cum uxore Praetoris (Stadtſchultheiß) inſtitutos. 1675.

18.) in M. Victorem Wagner, qui ob frequentiſſimas puerorum corruptiones Monaci peractas, Lucernam in locum M. Jgnatii Mändl ob idem crimen dimiſſi ablegatus, mox ibidem XI. pueros in ipſa cathedra, aſpicientibus caeteris, ſtupravit, palamque docuit, haec ſine peccato licere. R. P. Rector pro Societatis fama rem ſilentio texit, ex quo reus S. Franciſco Xaverio votum tulit, ſingulis diebus cilicium portandi. 1678.

19.) in M. Georgium Bilgram, Landshuti, qui quotidie formoſiores juvenes in ipſam cathedram arceſſivit et unum vel alterum ex turba ſuſpicientem verbis repreſſit: Raup, ſchau in dein Buch, (Taurule, librum inſpice!) ſecuriusque ut falleret, chartam vel aliud quidpiam è pulpito dejecit, quod cum tollere omnes diſcipuli feſtinarent,

rent, ipſe puerum incubuit. 1685. „Ego „Petrus Albertus Winger me à Magiſtro „Bilgram ſingulis ferme diebus turpiter „tactum fuiſſe ac etiam illum crebro in me „incubuiſſe dico."

20.) in M. Franc. Xav. Wagner, Conſtant. qui pueros ad pollutiones ſollicitavit diverſosque modos docuit. 1690.

21.) in M. Aloyſium Leyden, Affingenſem, Dillingae in gymnaſii diſcipulos foede peccantem, quorum numerus jam ſcitur ſeptenarius, inter quos et illuſtres et perilluſtres. 1690.

22.) in P. Felicem Poli, Caſuum Doctorem, Ratisponae ob intimam conjunctionem cum Reverendiſſima Domina Maria Thereſia, Monaſterii ſuperioris Abbatiſſa Principiſſa, ad cujus complementum nil niſi publica copulatio deeſſe videbatur. Rector Collegii non niſi maximo labore obtinuit, ut iſte Welſcher Gockelhahn Tridentum abire juberetur, ubi poſtea Somaſchorum ordinem amplexus eſt. 1695.

23.) in P. Jo. Bapt. Zeltner, Profeſſorem Rhetorem, Mindelhemii, qui pueris, quos virga caſtigabat, libidinoſe abutebatur, mulieres ſe egere magnitudine columnarum

coram

coram discipulis iactitabat, carnificis uxorem concupiscebat, in hospitiis saltabat, puellis annulos donabat. Straubingam abire jussus ibi male audire pergebat. 1696.

24.) in P. Jo. Federer Rectorem Ratisp. qui a. 1694. in maximum Germanicae Dietae scandalum cum puella quadam Ratisponensi dicta die schöne Annemiedel conjunctissime vivens, per P. Poli et Abbatissam Superioris Monasterii (num. 22.) delatus, in locum Rectoris Burghusani transplantatus, ibidem Dominam quandam Anglicanam Professam impraegnavit. Quum hoc probrum ex pio Superiorum consilio omnibus modis tegendum esse censeretur, Reverenda Domina Impraegnata in statum saecularem restituta et impensis Societatis cum pingui dote ablegata est. 1697.

A Monsieur Monsieur le Baron de Hohenkirchen, mon trés cher honoré Papa, presentement à Munic: Herzallerliebster Herr Papa: (Stiefvater) Auf langwühriges Bedenken füge ich Ihme endlich an, daß ich aus nachfolgender Ursach nit mehr weiß, in meinem dermaligen Stand zu verbleiben, sintenmalen ich mich mit Herrn P. Rektor, mei-

 nem

nem Beichtvater in Burghausen, in dem Laster der Unzucht, sogar in dem Werk selbsten, würklich vergriffen; daher ich Euer Gnaden, meinem herzallerliebsten Herrn Papa, es in allerhöchstem Vertrauen offenbaren wollen, damit mir Elenden und Betrübten durch Dero Macht und Beistand zu meiner Seelen Heil möge geholfen werden, wie ich dann dieses alles Ihro hohen Vernunft will überlassen haben; mich aber zu Dero väterlichen Gnad unterthänig empfiehl, als Euer Gnaden unterthänige Dienerin und gehorsamstes Kind: Anna Ludovica v. Donnersperch. Geben München, den 16. August 1697.

25.) in M. Ant. Ehinger, Constantiensem, Ambergae, qui jam ab juventute in lubricis moribus pessime versatus Societatem Jesu ob hanc solam caussam intravit, quod audivisset, Jesuitas licet omnibus immersos vitiis, ex speciali Societatis privilegio, coelitus revelato, neutiquam posse damnari. Sed compertus denique, hoc adeo certe non constare, ob inveteratam peccandi consuetudinem recessit. 1698.

26.) in P. Franciscum Baumann, Oelenbergae, qui cum puellis peccavit, exin confessio-

nes

nes earundem de iisdem peccatis excepit et absolutiones largivit, eò quidem sexus applausu, ut aegrotantes noctu eum vocitarent: o Pater Francisce! ubi es? o si adesses! non possum vivere sine te, nec tu sine me. 1699.

27.) in Collegii Straubingani Fratrem Janitorem ob crimen procurati abortus. 1700.

28.) in M. Jgnatium Wilhelm Monacensem et M. Joh. Bapt. Vischl, Cambensem, perdite se amantes. 1701.

29.) in P. Ant. Gump, Friburgi, ob incontinentiam et sacrilegas confessiones 1713.

30.) in M. Mich. Schöech, Altenstatt. Rhoetum, Ingolstadii, ob difficultatem in servanda castitate 1713.

31.) in M. Julium Pellanda, Landsb. sic enormiter cum pueris delinquentem, ut insanus genas eorum morderet 1713.

32.) in P. Josephum Maier, quinquagenarium Biburgi Ecclesiastem, puellas, unam XV. alteram XI. annorum sub crepusculum vespertinum convenientem. 1723.

33.) in P. Franc. Mahon, Alsatum, in sacro tribunali foeminas sollicitantem. Augustae 1723.
